21 alias est mansus; que novacula cum pratis et
silvis dicte ecclesie unacum fratre suo Dedone
donavit atque ab imperatore Frederico confirma-
cionem optinuit, prout hec clare in imperiali
mo cum sigillo maiestatis, quod habetur in mona-
sterio sancti Mauricii prope Nuenburch, ad
quam ecclesiam hodie dicta prepositura Owa
claustri dinoscitur pertinere, quod
quidem privilegium sepius vidi ac coram prin-
cipibus modernis produxi eisdem copiam
translatam in vulgari tradendo. Et sicud
patrem suum Conradum, ut supra dictum est,
Deus in temporalibus ditaverat et prole pluri-
ma fecundavit et sic et suum filium Ottonem
presentem. Nam ex coniuge sua genuit duos
filios Albertum et Theodericum et duas filias Ade-
lam et Sophiam. Sophia nupsit burggravio de
Regensborg, Adelam duxit Odackarus, qui
postea fuit dux Bohemie, qui genuit ex ea
filium Bredislaum et filias tres, quarum una
nupsit regi Dacie, alia Hinrico comiti de Or-
tinberg, tercia canonizata est in Gerenrode.
Et vocatur Gerinrode a Gerone olim mar-
chione, dicto Gero fundatore, ubi habetur
brachium sancti Ciriaci martiris, quod papa
sibi donavit. Hec Adela cum Odackaro ex post
divorciata est propter notam consanguinitatis
et de ista causa loquitur decretalis consti. secunda
de testibus orta est Domini. Anno Domini MC
LXXXII° magna discordia inter Lodewicum alias
lantgravium, comitem Thuringie, et Ottonem
marchionem Missnensem, ita quod prefatus
Lodewicus Ottonem marchionem captivavit. Sed
quia hoc mediante iniusto bello, ideo precepto
Frederici imperatoris relaxatus est. Tandem semina-
tor discordiarum, dyabolus, bellum intestinum inter
ipsum Ottonem marchionem et Albertum filium
suum seminavit, ita quod filius precepti decalogi in-
memor manum suam violentam in patrem extendit
ipsumque captivavit et in castro Delbin custodie
mancipavit

a) novacula c.

sterro

claustri c.

c) gerinrodde c.

a) dum c.

Lodewicus cepit Ottonem marchionem.